



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Georgii Buchananani Paraphrasis, In tertium librum Psalmorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Ille rex gentes faciet beatas
 Quas sinu claudit refugo Amphitrite,
 Omnis hunc tellus canet Amphitrite
 Cuncta beatum.

Isaci gentis Domino Deoq̄
 Laus, honor, uirtus: opis haud egenus,
 Illa quæ cuncti attoniti intuentur,
 Perficit unus.

Nomen augustum canat omnis ætas,
 Vlla quod nunquam taceat uetustas:
 Nominis sancti penetret per omnes
 Gloria terras.

GEORGII BV
 CHANANI PARAPHRASIS, IN
 tertium librum Psalmorum.

PSAL. LXXIII. *Quam bonus Israel Deus ijs qui recto sunt corde, &c. Carm. gen. 15.*

Tellus ut undis hospitium neget,
 Undæq̄ terras fluctibus obruant,
 Aër coruscis fulminet ignibus,
 Ruina mundi sidera misceat:
 Dei potentis non bonitas tamen
 In rebus arctis destituet pios,
 Puras-

Parasq; mentes nequitia sinet
Fraude impotenti funditus opprimi.

Quàm penè lapsu pes mihi lubrico
Gressum sefellit, dum pede metior
Immensa paruo dum trutina mea
Expendo stultus iudicium Dei!

Feruebat ira pectus, & æmulo
Liuoris æstu, quum scelerum omnium
Contaminatos sordibus impios,
Florere cunctis conspicerem bonis.

Sors illa cunctis inuida, mobilis,
Infida seruat perpetua fide
Istis tenorem, & robore uiuido
Firmos senectam ducit ad ultimam.

Exempta duris uita molestijs
Curisq;, (pectus quæ reliquis coquunt
Mortalibus) per lætitiã fluit
Luxumq;, & ægris pura laboribus.

Ergo insolenti fœta superbia
Corda intumescunt: pectora spiritus
Ventosa tendunt cæcus amor sui
Frena impotenti dat uiolentiæ.

Tecta inuidendas non cap'unt opes,
Felicitem non animus suam:
Et uota uincens spemq; superfluis
Luxus fatigat, nec satiat tamen.

Verbis minores terrificant feris,
Et fastuosæ mole potentiæ:
Vultu procaci & uocibus improbris
Adblandiuntur nequitie suæ.

Nec impudentis garrula uanitas

Conten

Contenta linguæ fundere toxica
Terras per omnes, astra lacescere
Audet, Deumq; in sana superbia.

Hæc mente spectant attonita pij,
Et æstuanti pectore fluctuant:

Secumq; mussant, Scilicet hæc Deus
Quum cernat, atris abstinet ignibus?

Opes abundè suppeditant malis,
Crescitq; nullo fine pecunia:

Secura pacis molliter otia

Quassante nullo turbine transigunt.

Frustra ergo puro pectore uiuitur:

Frustra innocentem contineo manum:

Frustra labores perfero, torqueor

Dolore, nullis non crucior malis.

Rursus uerebar ne temerario

Aufu improbarem consilium Dei,

Ac arbitrarer fortè miserrimos,

Selecta quos is pignora nuncupat.

Causas latentes dum sequor anxius,

Et pertinacis uiribus ingenti

Pugno, profundum se chaos ingerit,

Et nocte mentis lumen adobruit.

Labore tandem fessus inutili

Ad te recurro, rex bone cælitum:

Quietus expecto ex adytis tuis

Quid hos & illos separet exitus.

Vidi repentè quàm pede lubrico

Starent superbi: quam stabiles parum

Opes tenerent, quàm fragili loco

Fultos ruina præcipiti trahas.

Pro-

Procella uindex ut sonuit tuæ
 Iræ fugaces cum domino suo
 Euanuerunt diuitiæ: manet
 Umbra inuidendæ nulla potentia.
 Sic nocte mentes ludificans fugit
 Imago somni: & quæ modò pectora
 Sopita uano terruerat metu,
 Risus per urbem mox ciet omnibus.

Donec uiderem hæc, mæror & anxie
 Mentem obruebant sollicitudines:
 Aut hælitantem, ceu stupidum pecus,
 Torpor ligabat pectore marcido.

Arcana sed uis interea tui
 Me fulciebat numinis, ac manum
 Dextram regebas: auspicio tuo
 Ductuq; clarus fulgeo gloria.

Quid terra præter te mihi? quid polus
 Offert colendum? cor mihi tabuit,
 Infracta mens desiderio tui
 Languibat, ægrum corpus ianruit:

Tu rursus artus robore uiuido
 Firmasti: opimas suppeditasti opes.
 Qui te relicto, spe stolidi deos
 Vanos adorant, cladibus obruis.

Te sector unum, tu superas meis
 Spes una rebus: præsidio tuo
 Liber periculis, auctus honoribus,
 Te sempiternis laudibus efferam.

PSAL.

PSAL. LXXIIII. *Vt quid Deus repuli
fi, &c. Carm. gen. 3.*

Cur nos relinquis penitus, ô rerum parens,
Hostiq; dedis impio?
Lupis uorandum cur gregem pastor tuum
Ira obstinata deseris?
Memento cœtus seruitute ab aspera
Quem uendicasti: quem tibi
Peculiari sorte, patrimonium
Ceui proprium, receperas.
Colles Sionis, numinis sedem tui,
Bonus fauensq; respice.
Tandem resurge, & hostium superbiam
Compesce: perde funditus
Hostes proteruos, qui tuum sacrarium
Manu nefanda polluunt.
Clangunt sonora buccina, non quæ tuas
Laudes canat, ludibrio
Sed festa acerbo quæ profanet. in tuis
Vexilla figunt turribus.
Bacchatur audax ira frenis libera
Aedis ruentis it fragor:
Quales sub altis murmurant quercus iugis,
Cæcæ bipenni quum ruunt.
Demoliuntur malleis & uestibus
Cælata templi limina.
Populatur ignis adyta: nominis tui
Contaminant sacrarium.
Secumq; tacito comminantur pectore
Se diruturos omnia.

Nec

Nec temerè flammis strata fumant omnia
Tuo dicata cultui
Loca signa nusquam, nulla iam miracula:
Propheta nullus perditos
Solatur, & spe quamlibet lenta, tamen
Spondet malorum terminum.
Quousq; tandem nomini fines tuo
Hostem proteruum illudere?
Quousq; acerbis facta dira & impia
Exasperabit iurgijs?
Cur otiosus retrahis manum? exsere
Tandem potentem dexteram.
Tu noster olim rector & custos Deus
Priscis abusq; sæculis.
Te uidit orbis uindicantem ab omnibus
Semper tuos periculis.
Secesit unda te iubente, & uitreo
Muro liquor coercuit
Cursum: feroces uiribus suis duces
Pontu recursus obruit.
Ipsam marinis uastiolem belluis
Hauit tyrannum, & asperis
Afflicta faxis, fluctibus cadauera
Eiecta uultur Aethiops
Vorauit: inter æstu arenas torridas,
De cote dura limpidi
Fluxere riui: te imperante substitit
Arente flumen alueo.
Tuus dies est, nox tua est: solis iubar
Radijs adornas aureis.
Acquorq; claudis litorum repagulis,
Terras-

Terrasq; cingis fluctibus.
 Aestate lenis frigus acre, frigoris
 Aestu rigorem temperas.
 Domine intuere probra, contumelias,
 Et hostium ludibria,
 Qui te lacesunt impijs conuicijs,
 Molestijs nos opprimunt.
 Ne trade uitam turturis tuæ feris.
 Turbam tuorum pauperum
 Ne sempiternâ obliuione desere.
 Memor tui sis fœderis.
 Nam nec tenebræ nos tegunt, nec pellimus
 Obscuritate iniurias.
 Ope destituti & omnibus fracti malis
 Populi pudori consule:
 Ut te merentem prosequantur laudibus
 Miseri leuati lacubus.
 Exurge rector orbis optime, & tuam
 Causam tuere: sis memor
 Quæ probra passim nomini semper tuo
 Stulta ingerat procacitas.
 Voces superbas & tumultus improbos
 Silentio ne supprime:
 Curamq; rerum gerere te mortalium,
 Qui negligunt te, sentiant.
 PSAL. LXXV. Confitebimur tibi De-
 us: confitebimur, & inuocabimus, &c.

Carm. gen. 13.

TE nos carminibus, rex bone patrijs
 Dicemus meritò: te celebrabimus
 Præsen-

Præsentem miseris: & memorabimus
Facta illustria posteris.

Quum plenis uenient tempora sæculis,
Cogam, inquit Dominus, concilium meum:
Iustis supplicijs prosequar impios,
Iustis muneribus pios.

Fundamenta soli dissiliant licet,
Turbetur trepidis gens hominum minis,
Fundamenta soli fluxa adamantinis
Nectam rursus ego uinculis.

O stultos: quoties admonui modum
Vesane ut facerent nequitiae suae!

In caelum quoties admonui impios
Ne stulte arma capesserent!

Quid caelum stolidi uoce lacescitis?

Qua spe sic furitis? spiritus arrogans

Cuius praesidio fretus in aethera

Cristas erigit impias?

Eois coeat uiribus Occidens,

Coniurent calidae cum Borea plage,

Frustra diuitias, sceptrum, potentiam

Cuiquam conciliauerint.

Vnus rex hominum res hominum suo

Verfans arbitrio, praecipitem trahit

illum de solio, plebis ab infimae

Hunc faece ad solium erigit.

Nam cratera meri purpurei Deus

iam dextra tenet, & uindice pharmaco

Udantem pateram temperat, & malis

Iustum supplicium parat.

K

Illinc impietas undiq3 ab ultimis
Terrarum spatijs hauriet, & mero
Consumpto, cupido gutture turbida
De face exitium bibet.

At me uate, Dei, quem genus Isaci
Et ture & precibus placat & hostijs,
Omnis posteritas munificentiam
Et uim numinis audiet.

Confringam tumidæ tela superbiæ
Formidata bonis: cladibus obruta
Emerget pietas, & super æthera
Tollet conspicuum caput.

PSALM. LXXVI. Notus in Iudæa De
us: in Israel magnum nomen eius, &c.

Carm. gen. 2.

Gentes profanæ numinis loco colunt
Sibi quisq3 quem finxit Deum:
Iudæa uerum nouit & colit Deum,
Laudatq3 festis cantibus:
Deum Sionis incolam, Solymæ sacris
Cui templa fumant ignibus.
Illic minaces fregit arcus, lucida
Fregit sagittæ spicula.
Clypea sinistris rapuit, enses dexteris:
Famesta bella sustulit.
Tu belluosis montium clarus iugis
Apparuisti: tu feram
Compescuisti fortium superbiam
Regum

Regum potenti dextera.
 Fracta minacis spiritus ferocia,
 Prædæ fuere: aut ferro
 Somno graui condidere lumina.
 Obtorpuere dextera
 Fortes uirorum, uis equorum, & curruum
 Elanguerunt imperus.
 Tuum uerendum nomen & numen. tuæ
 Quando æstus iræ incanduit,
 Quis obuiam ausit ire? quis miserum caput
 Tuo furori obiecerit?
 Quum templa mūdi fulminū quateret fragor,
 Vt impia tyrannide
 Pœnis repressa simplicem modestiam
 E seruitute abduceres,
 Attonita tellus siluit: imbellis pauor
 Mentis superbas perculit.
 Vltricis iræ scelera pœnis obruta
 Humana gens quum cerneret,
 Boni efferebant laudibus te, conscius
 Premebat horror impios.
 Vota ergo Domino nuncupate & reddite:
 Domino uerendo munera
 Ferte uniuersi ciuitatis incolæ
 Sanctæ, Deumq̄ agnoscite,
 Reges superbi quem pauent, qui spiritus
 Feros retundit impijs.

PSALL XXVII. Voce mea ad Dominum
 clamaui,

Carm. gen. 6.

K ij

TE uoce semper, te prece supplice
 Rerum inuocabo conditor optime.
 Nam lenis ac placatus aurem
 Das facilem miseris querelis.
 Ad te refugi quum premerer malis,
 Ad te tetendi sollicitus manus
 Sub nocte sola, donec atras
 Lux tenebras rediens fugaret.
 Mens inquietis fracta doloribus,
 Surda abnuebat aure fidelium
 Voces amicorum, medelæ
 Impatiens: animusq; solum
 Intentus in te, cum lacrymis preces
 Miscens fremebat: pectora flebili
 Concussa singultu sonabant,
 Cura animi cruciabat artus:
 Aestus uetabat sollicitudinum
 Dulcem soporem carpere lumina:
 Segnis ligabat membra torpor,
 Vocis iter dolor obstruebat:
 Tum mente uersa uolueret sæcula
 Cœpi anteacti temporis, ac Dei
 Numen bonis presens, nec unquam
 Auxilij miseris auarum.
 Laudum subibat quas tibi carmine
 Lyrae canebam suauiloquæ ad modos:
 Secumq; uestigabat ægra
 Mens uario labefacta motu,
 Num me relicto in perpetuum Deus
 Opis benignam iam retrahit manum?
 Nec amplius suum tenebit

Larga

Larga Dei bonitas tenorem?
Nec ore uatum leniet anxias
Curas suorum? nec miseris erit
Placabilis? nec sistet iræ
Præcipitem bonitate cursum?
Tandem remisso pectore, Quò dolor
Impellis? inquam: stant adamantinis
Decreta cæli fixa uinclis,
Nec dubio labefacta casu,
Nec fracta ui, nec temporis inuidis
Obliuiosi obnoxia dentibus.
Rursus tuæ mentem subibant,
Sancte parens, monimenta dextræ:
Qui templa picti sideribus poli,
Frugumq; campos germine fertiles,
Et sæcla tot nostros ad usus
Condideris pecudum & ferarum.
Quàm sæpè, pœnis dum premis improbos,
Tutoq; fulcis præsidio probos,
Mortalibus clementiæq; &
Iustitiæ specimen dedisti,
Aeternæ rerum conditor! omnia
Consulta cuius factaq; sanctitas
Illustrat. haud quicquam tibi ingens
Orbis habet simile aut secundum.
Mirante mundo tu Deus unice
Miræ dedisti signa potentia,
Ergastulis quum liberasti
Abramidas Pharij tyranni.
Vidère fluctus te tumidi Deus,
Vidère fluctus, & trepido gradu

K iij

Fugere turbavit profundas
 Horror aquæ vitreæ lacunas.
 Fudere aquo las imperio tuo
 Nubes procellas de grauido sinu,
 Sonore rauco: grandinisq;
 Infremuit lapidosus imber.
 Cæli tonantis uastificus fragor
 Implebat aures: lumina fulgurum
 Terrebat ardor, & pauore
 Attonitæ tremuere terræ.
 Sali rubentis peruia uastitas
 Ductore te tot millibus obruit
 Vestigia, & fluctu refuso
 Clausit iter Pharijs quadrigis.
 Moses & Aron (ceu pecudum greges
 Pastor reducit) præsidio tuo
 Duxere tranquillas per undas,
 Incolumes populi cateruas.

PSAL. LXXVIII. Attendite popule
 meus legem meam, &c. *Carm gen.*

A Udite Isacide, & rerû pietate parente (stros
 Qui colitis pura, huc animos aduertite ue
 Mira canã, sed uera canam: quæ lōga uetustis
 Occulit arcana oracula meria tenebris,
 Euoluam: priscis accepta parentibus olim
 Veriloquis d'ctis, in sæcula sera nepotum
 Transmittam: laudesq; Dei, mirandãq; facta
 Cognita de proauis discunt me uate minores.
 Namq; parës mûdi sancto quû fœdere gente
 Iungeret Isacidum sibi, patres prodere natis

Per

Per feriem, & seris uenientia sæcula sæclis,
Et legum monitus & facta ingentia iussit.
Scilicet ut memori benefacta priora tenentes
Pectore, consilium uitæ auxiliumq̄z regendæ
A Domino expectet, trepido turbate tumultu.
Ne tam cæca animos condant obliuia, legum
Irrita uentosis ut dent præscripta procellis.
Neu similes patrum malè grata mète rebelles,
Deficiant animi instabiles, dubioq̄z labantes
Pectore. Cur soboles Efræmi docta sagittis
Figere ueliaculo quamuis distantia certo,
Terga dedit penè ante tubas? latebrisq̄z salutē
(Opudor) abiectis quæsiuit turpiter armis?
Nempe quòd auersos flexère per auia gressus,
Obliu legum & monitorum & fœderis ic̄ti,
Oblitatorum operum quæ testibus olim
Patribus, in Pharijs Dominus patrauerat oris.
Quum mare diuisit sese cumulâte profundo,
Inter & aggestos undæ stagnantis aceruos
Incolumè eduxit populum, duce nube, serena
Luce, per obscuras flamma præeunte tenebras.
Flumina de solidi patefecit uulnere saxi,
Damnatisq̄z siti riuos donauit arenis.
Nec satiati undis linguas tenuère procaces,
Ausu immane scelus, deserta per auia rursus
Tentauère Deum: & uentris stimulâte uoracis
Inglauie, petièrè cibos: ac talibus ora
Soluerunt, Silicis duræ qui flumina uenis
Elicuit, subitoq̄z sitim torrente leuauit,
Non potis est panem, non lautæ fercula mēsæ
Addere? non epulis conuiuia larga profusis?

K iij

Audiſt omnipotēs, calidaq̄ accēſus ab ira eſt,
 Flāmarumq̄ globos fudit ſuper agmina largis
 Imbribus. & ſtolidos compescuit ignib⁹ auſus
 Et populo tamen ingrato, totiesq̄ ſalutis
 Immemori acceptæ, dapibus dedit eſſe petitis.
 Caſtra ſuper latè ætherij patefecit Olympi:
 Horreaq̄ & nubes cæleſti ſemine fœtas
 Ambroſiæ largos ſuper agmina ſoluit in im-
 bres:

Cæleſtisq̄ cibi indulſit mortalibus uſum.
 Cedere tum iuſſo campis ex aëris Euro,
 Mox trepidis uolucrum pluuias Notus attu-
 lit aliſ,

Non ſecus ac ſiccæ cumulos quū uerit arene,
 Puluereamq̄ trahit deſerta per arida pallam.
 Caſtra ſuper tenſisq̄ ſuper tentoria uelis
 Alituum tremulis reſonabant agmina pennis,
 Et circū affuſis cumulabant ſtragibus agros.

Iamq̄ epulis exēpta famēs: ſed praua libido
 Non exempta tamē, ſed adhuc ſine ſine petita
 Faucibus hærebant epulę: Deus ecce repente
 Vltor adeſt: latè ſubito graſſante ruina,
 Robora ſelectæ paſſim cecidère iuuenſe.
 Sed neq̄ tot pœnæ, neq̄ tot benefacta rebelles
 Continuère animos, nec tot miracula, rerum
 Natura monſtrante Deū. Pater ergo procaces
 Caſibus aſſiduis fregitq̄, & robore fracto,
 Ante diem tremulæ ſuccidit fila ſenectæ.

Vix tandem morbis uexati, erroribus acti,
 Omnibus exhausti propè cladibus, omniū e-
 Agnouère Deū: per tot discrimina teſti (geni,
 Ere-

Ereptiq; malis, sæuoq; ex hoste recepti,
 Verba tamen blãdis fundebãt subdola linguis
 Ore pij, mendace animo: neq; fœderis isti
 Seruauere fidem. Verum clementior ille
 Sontibus ignouit: patri pietate remisit
 Offensas, meritamq; ultro compescuit iram:
 Quippe homines memor esse animi modò fla-
 bra fugacis,

Quæ fragiles agitent morituri corporis artus.
 O quoties inter uiduas cultoris arenas,
 Inter saxa siti squalentia, numinis iram
 Languentem insanis irritauere querelis:
 Et tua diuinas dimensi ad robora uires,
 Virtutem breuibus uoluere includere metis,
 Quæ mare, quæ terras, quæ cæli cõtinet orbes.

Scilicet obliti benefacta priora, salutem
 Acceptam, & duri nuper iuga dẽpta tyranni,
 Et quæ per Pharias miracula plurima gentes
 Edidit, in uitreos suffuso sanguine riuos,
 Damnatisq; siti laticũ sine munere mensis.
 Et modò pestiferæ per celsa palatia muscæ
 Spicula figebant liuenti tincta ueneno:
 Et modò flumineis squalabant atria ranis.
 Et nunc bruchus edax hominumq; boumq; la-
 Agmine nũc dẽso diræ exedere locustę. (bores,
 Grandinis imbre hortos, lapidosa grandine ui-
 tes,

Grandine siluarũ Dominus decussit honorem:
 Grandine prostrati fortes iacuere iuenci:
 Et segetũ grauidos ruit igneus imber in agros.

Ira Dei, laxisq; furor bacchatus habenis,
 Fumenidumq; faces, & cōsciū horror oberrās
 Pectora, turbabat stimulis præcordia cæcis.
 Tū leto patefacta uia est: mors seua per omne
 Passim hominū pecudūq; caput nulli æqua cu-
 currit:

Primitias sobolis, carissima pignora, florem
 Roboris, & seræ spem præsidiumq; senectæ
 Prostrauit, quā Nilus aqua se diuite uoluit,
 Et septē geminis refluū mare submouet undis.

Nilus.

Interea, ceu pastor oves in pascua ducit,
 Ipse suū Dominus populum deduxit ab omni
 Vi procul & trepida formidine: fluctib⁹ equor
 Obruit infestos in se redeuntibus hostes.

At sancti tenuere patres loca sancta, Deiq;
 Parta manu, exclusit gentes prius unde profa-
 Aut prostrauit humi uictas: & iugera mēl⁹ (nas,
 Abramidis habitare dedit. Nec segnius illi
 Irritare Deum, & rerum tentare parentem,
 Fœdera negligere: & patrum de more rebelles,
 Auertere suos recto de tramite gressus:

simile.

Non secus ac arcus curuat se in cornua neruo
 Adducto, dextraq; iterum neruoq; remisso
 In faciem subito flectit se spontē priorem:
 Libera sic iterum gens impia uindice pœna
 Ad sese redijt: cunctisq; in collibus aras
 Erexerit, fluxitq; sibi simulacra deorum,
 Ac Dominū rerum meritas accendit in iras.

Audijt omnipotēs pater impia uota precesq;
 Et sibi dilectam gentem contempfit: & aras
 Ipse suas, ac Silonis tentoria liquit,

Sola sibi è cunctis electa habitacula terris.
 Deseruitq; sui monumentum fœderis arcam
 Hostibus in prædam: monumentū roboris, unde
 Clara Dei in cunctas splendebat gloria terras.
 Hos ferro, terræ iratus sibi nuper amatae,
 Obiecit, flammis alios: cecidère cruento
 Ense sacerdotes: non connubialia festis
 Carmina sunt cantata toris, cariq; mariti
 Indeploratis uiduæ iacuere sepulcris.

Ast ubi iam pœnis meritam satiauerat iram,
 Ceu crapula excussa miles, lentoq; sopore
 Excitus, arma iterum fugiètes uertit in hostes:
 Tergaq; uulneribus figens imbellia cæcis,
 Perpetuam aspersit uentura in sæcula labem.
 Non tamen Efræmū præstantē fortibus armis
 Elegit, cui sceptrā daret: non ille Manassæ
 Pignora: sed Iudam, sed celsæ tecta Sionis,
 Templā sibi & solido fundata sacraria saxo,
 Cumq; polo & stellis mansurā in sæcula sedē.

Quiq; sequebatur pecudes in pascua David,
 Sustulit è caulis, caram & sibi pascere gentem,
 Impositum solio, & sanctæ ius dicere terræ
 Iussit: & ille gregem studio curaq; fideli
 Rexit, & infestis defendit ab hostibus armis.

PSAL. LXXIX. Deus, uenerunt gen-
 tes in hereditatem tuam, &c. Carm. gen. 3.

Hereditatem, rector orbis, cur tuam
 Inuadit hostis impius?
 Ritu profano polluit sacraria
 Tuo dicata nomini,

Soloq;

*Dauid in
 regē elect.*

Solòq; stratam funditus Solymam suæ
Tegit ruinae molibus.

Truncata ferro membra te colentium
Passim per agros obiacent,
Lanianda rostris uulturnum, crudelibus
Aut belluarum dentibus.

Riui cruoris perluunt uias, uelut
Torrens adauctus imbribus.

Nec usquam amicus ossa sparsa qui legat,
Aut lecta tumulis obruat.

Functiq; fato pariter & superstites
Ludibrio accolis sumus.

Parens benigne, quem modum tandem tuæ
Speremus iracundiæ?

An continenter instar ignis omnia
Vorantis in nos sæuiet?

Tui furoris uerte potius impetum
In impiarum gentium

Tot regna, nomen quæ tuum uel nesciunt,
Vel si sciant, non inuocant.

Semen piorum quæ laborant perdere
Armis, & urbes ignibus.

Reuocando uetera, parce genitor, crimina,
Faces furori subdere.

Sed penè cunctis obrutos malis, tua
Nos præueni clementia.

Offensionum mitis obliuiscere,
Nostræ salutis anchora.

Placatus adsis, splendor ut cunctis tuæ
Clarescat oris gloriæ:

Os obstruatur impijs, quærentibus

Num

Num noster hic cesset Deus.
 O iuste uindex, impios exercitos
 Pœnis uicissim cernere
 Fac nos, cruore qui piorum sordidi
 Nunc insolenter gestiant.
 Audi gementes carcerum qui uinculis
 Marcent: potente dextera
 De fauce mortis libera quos cœdibus
 Iamiam tyranni destinant.
 Et quam intulerunt contumeliam tibi,
 Et quam tuis iniuriam,
 Multiplicatam redde nostris accolis,
 Rerum perennis arbiter.
 Et nos, ouilis grex tui, quem pabulo
 Alis, tueris numine.
 Et posterorum posteri laudes tuas
 Cunctis canemus sæculis.

PSAL. LXXX. *Qui regis Israel, inten-*
de: qui deducis uelut ouem, &c.
Carm. gen. 16.

HEbræi generis pastor, uti gregem,
 Blandē progeniem qui regis Ifaci,
 Inter qui geminos aligeros tuo
 Præscribis populo iura salubria:
 Selectæ soboli da bonus ac fauens
 Lumen posse tuæ cernere gloriæ,
 Da uim posse tuæ nosse potentiæ:
 Ac fessis properè porrige dexteram.
 Tu nos si placido lumine uideris,
 Cedent

Cedent continuò cetera prosperè.

O rex armipotens, quem statues modum
Irae? quando humiles suscipies preces?

Irroras lacrymis fercula, lacrymis
Misces continuis pocula: iurgia
Nostris finitimi de spolijs ferunt,
Et nostra exagitant ludibrio mala.

O rex armipotens, agmina cælitum
Cui parent, faciem cernere da tuam.

Tu nos si placido lumine uideris,
Cedent continuò cetera prosperè.

Traduxti Pharia de scrobe uineam:
Prauaram expuleras semina gentium,
Ut puro fereres purius hanc solo.

Iam radix teneras fuderat undiq;
Fibras: iam tremulo frigore texerat
Montes: æqua Cedris brachia sparserat:
Tangebant teretes æquora palmites,
Euphraten teneri germina surculi.

Nudatam solitis cur modò sepibus,
In prædam hospitibus deseris hanc uagis?
Cur hanc sæuus aper proterit? alites
Carpunt? omnigenæ depopulant fera?

O rex omnipotens, obsecro iam redi
Tandem, & sidereo prospice de throno:
Placatusq; tuam respice uineam,
Plantaras propria quam tibi dextera.

Hunc saltem placidus respice ramulum,
Cui cultu assiduo conciliaueras
Robur, clara tui gloria nominis
Terrarum ut populis nota sit omnium.

Ilic

Illic flamma uorat brachia uitium:

Hic conuulsa gemunt: cæcia bipennibus

Hic duris resonant: omnia peltum eunt.

Iræ iusta tuæ nos premit ultio.

Indulgens genitor, nunc ope subleua:

Firma præsidio nunc propius tuo

Hunc, uires & opes & decus antea

Affectu patrio cui cumulaueras.

Vitam redde tuis, sancte parens, quibus

Semper mors auidis faucibus imminet.

At nos usq; ducem te comitabimur,

Præsentem miseris te celebrabimus.

Orex armipotens, agmina cælitum

Cui parent, faciem cernere da tuam.

Tu nos si placido lumine uideris,

Cedent continuo cetera prosperè.

PSAL. LXXXI. Exultate Deo adiuto-
ri nostro: iubilate Deo, etc. Carm. gen. 21.

EXultate Deo nostro, bona dicite uerba

Nostræ salutis nindici:

Isacidum laudate Deum Pæana canentes

Ad tympani dulces modos.

Nec lyra, nec cessent genialia nabilia: festis

Tuba calendis clangite.

Hunc læti celebrate diem, stata sacra ferentes,

Nam sic statutum est patribus.

Sic lex sancta iubet, sic sacri scœdera pacti

Percussa cum maioribus.

Hæc est illa dies uentura in sæcula testis

Memphiticæ tyrannidis:

Quum

Quum Pelusiæ Hebræi gens hospes in oris
Erraret, & linguæ sonum

Attonita ignotum audiret, nec nota uicissim
In uerba frustra os solueret:

Quumq; humeros curuaret onus seruile, ma-
Lassaret olla fictilis, (nusq;

Excussi manibusq; ollas, humerosq; leuauit
Luto, inquit optinus parens:

Auxiliumq; tuli poscenti in rebus egenis:
Et nube densa conditus

In tonui: Meribam propter, tua iurgia passus,
Feci tui periculum.

Nunc etiam selecta mihi gens auribus hauri,
Et quæ paciscor accipe:

Si mea dicta uagis non tradas irrita uentis,
Nec alterum colas Deum,

Nec prostratus humi supplex noua numina ad
Sed unicum tibi me Deum (ores

Esse uelis, Domini qui rupta compede Nil,
Iuris tui te reddidi:

Posce modò: spe plura feres, potiora petitis,
Maiora uotis auferes.

Hæc neq; dicta suas populus demisit in aures,
Bene nec monenti paruit.

Ergo ipsos sibi permisi: frenoq; remisso
Soluti uagam libidinem.

O potius monita audissent mea! me duce rectum
Utinam institissent tramitem!

Namq; humiles illis subito fractosq; detulsem
Hostes, meamq; dexteram

Vertissem in gentes, quæ recta odere, profanas:
Et

Et supplices mendacibus
 Vultibus Ifacidum ambissent uerbisq; fauore
 Felicium omne in sæculum
 Ifacidum, quibus almus ager fudisset abunde
 Frugum benignam copiam,
 Mellaq; de duri fluxissent uiscere saxi
 Per arua cultus in scia.

PSAL. LXXXII. *Deus stetit in syna-
 daga deorum, &c. Carm. gen. 6.*

Regum timendorum, in proprios greges,
 Reges in ipsos imperium est louæ,
 Qui iudicantur examinabit
 Nequitiam trutina seuera.
 Num fraudulentos semper & impios
 (Inquit) dolosa lance fouebitis?
 Pauperq; pupillusq; uestrum
 • Ceu scopulum metuet tribunal!
 Quin orbitatem cernitis anxiam?
 Aurem querelis quin in opum datis?
 Cur pauperes non à superbo
 Ludibrio asseritis potentum?
 Frustra monemus: lumina cæcitas,
 Errorq; mentes obfidet: ut neq;
 Compaginem rerum solutam
 Iustitia pereunte cernant.
 Deos uocaui uos, dominos necis
 Vitæq; feci: sceptrifera manu
 Pacem dedi tueri, & armis
 Letiferum cohibere bellum.

At mors iniquæ iusta superbæ
 Vltrix honores detrahet, & pari
 Ignobili cum plebe fato
 Purpureos rapiet tyrannos.
 Exsurge. legum frena manu Deus
 Capesse, cunctis a rbitrio tuo
 Qui regna dispensas, ut orbi
 Imperio domineris æquo.

PSAL. LXXXIII. Deus, quis similis
 erit tibi? &c. Carm. gen.

NE taceas, ne cuncteris, pater optime, nee
 Preces tuorum sperne duris auribus.
 Ecce fremût hostes circum, & miscere tumultu
 Sæuo parati cuncta, cristas erigunt.
 Concilia occultè coëunt, populoq; minantur
 Tu quem tuendum propriè susceperas.
 Eia (aunt) properate, omnem succidite silvâ
 A stirpe sobolem deleamus Isaci.
 En sceleri iurata manus coit omnis in unum,
 Tua instituta ut deleant & fœdera.
 En cum palmifera iunctus Nabathæus Idume.
 Soboles Moabi, & Agareni, & Gabala,
 Cumq; Palestinis Tyrijsq; Amalecus & Ammon
 Syrusq; iungit castra Loti posteris.
 At tu sterne solo uictos, Madiana iuventus
 Ut cæsa textit semitas te uindice.
 Sisara ceu tumidus cecidit, sæuusq; Iabinus,
 Cissontis undas turbidas quum sanguine
 Tinxere: infletæ passim iacuere cateruæ,
 Letamen

Lætamen agris: nec fuga eripuit duces
 Orebum & Zebum: nec subtraxere latebræ
 A falce mortis Zebeamq; & Salmanam:
 Dicere non ueritos animo uotoq; superbo,
 Dominos futuros se tui sacrarij.
 At tu sancte parens sic hos uertigine torque,
 Ut rotula diuo, stipula uento uoluitur:
 Flamma uelut sicca populatur brachia siluæ,
 Per alta stridens montium cacumina.
 Sic urgeattonitos consternatosq; procella,
 Tui furoris dissipa sic turbine,
 Sic animos dolor exurat, pudor ora coloret,
 Suis miserijs numen ut probent tuum:
 Sic ignominia fastum preme, damna timorq;
 Sic continenter territos exerceant,
 Te solū ut noscant Dominū, rerumq; potentē
 Quacunq; terras ambit axis ignifer.

PSAL. LXXIIII. *Quam dilecta ta-*
bernacula tua, &c. Carm. gen. 8.

O Rex armipotens, qui creperos tuo
 Bellorum arbitrio diuidis exitus,
 Ergo limina templi
 Lætus conspiciam tui.
 Hic cor læticia palpitat: hic bonis
 Languet mens nimijs ebria, gestiunt
 Artus, atria uiui
 Visuri propius Dei.
 Hic passer latebras inuenit, hic locat
 Nidum ueris auis nuntia. O atria
 Regis bellipotentis

Vt uos aspiciam libens!

Felix qui domui perpetuo tuæ
Hærens te celebrat: qui penitus suam
In te spem posuerunt,
Felices ter & amplius.

Felices studio qui properant pio
Templo sacra tuo ferre: per aridas
Valles fontis amœni
De riuis liquidis bibent.

Nec deerit pluuiæ quæ repleat cauas
Fossas, agmen aquæ, dum properat premens
Turmam turma, parentum
Ritu cædere uictimas.

O rex armipotens, da placidum tuo
Te regi, capitis cui decus inclytum
Indulsti: bonus aurem
Ne daram abnue supplici.

Tu noster clypeus, rebus in asperis
Spes & præsidium: iuxta adytum tuum
Vnius mora lucis
Pro mille est mihi sæculis.

Sim custos potius liminis in tuo
Templo, sancte parens, quam Solyma procul
Degam inter sceleratos
Multis clarus honoribus.

Tu sol, tu clypeus, tu Dominus: tuis
Tu das conspicua fulgere gloria:
Nec puro scelerum unquam
Claudis munificam manum.

O rex armipotens, quem penes exitus
Bellorum, & positis ensibus otia,

O bis

Obis terq̄ beatos
Qui te spe solida colunt.

PSAL. LXXXV. *Benedixisti Domine
terram tuam, &c. Carm. gen. 1.*

Non semper tumidis feruent uexata procel
Aequora, nec gelida riget horrida ter- (lis
ra pruina:

Inq̄ uicē ponunt uenti, mare sternitur, aura
Mitior inflorem torpentes euocat herbas.
Nec semper Deus auertis marentibus aurem
Durus, & indulgens iræ: quondamq̄ fauore
Sponte tuū amplexus populum es, uinclisq̄ se
lutis

Seruitij, patrias duce te remeauit ad aras.

Oblitus scelerum & uiolati fœderis, iram

Lenisti, & patria texisti crimina cura.

Et nos ergo parēs, nostræ & spes una salutis,

Respice placatus facilisq̄: animumq̄ benignū

Accipe: perpetuæ neue implacabilis iræ

Sæuiat in seros etiam uindicta nepotes.

Respice nos melior tantum: quodcunq̄ misel-

Spirat adhuc animæ, te respiciente uigorē (læ

Accipiet: populoq̄ tuo, iam nube repulsa

Tristitiæ, lætos hilarabunt gaudia uultus.

Alme parēs, bonitate tua complectere fessos,

Speratæq̄ diu iam fructum ostende salutis.

Iamdudum expecto, Dominus dum læta futuri

Signa det, arcano pulsans præcordia motu,

Et dabit hand dubiè posita placabilis ira

L iij

simile.

Signa secūda: pijs dabit omnia prospera, leges
 Qui patrias & sacra colent, errore relicto.
 Ecce salus, ecce incultas bona copia terras
 Incolet, & læti renouatrix gloria sæcli.
 En bonitas, en alma fides feret obuia gressus
 Terra fidem, cælo terras Astræa relicto
 Sancta colet: comes Astrææ bona copia cælo
 Appluet, & lætos decorabit frugibus agros.
 Et quacunq; feret Dominus uestigia, gressus
 Ante ferent ius fasq; suos: lis, uisq; dolusq;
 Deferet afflictas per tot iam sæcula terras.

PSAL. LXXXVI. *Inclina Domine alle-*
rem tuam, &c. *Carm. gen. 10.*

DAmittis aurem supplicij
 Deus: saluti consule
 Ope destituti & pauperis:
 Nec iræ semper uindici
 Seruum tuum serua Deus,
 Cui spes salutis unica es:
 Serua inuocantem iugiter
 A solis ortu ad uesperum.
 Depelle mentis nubila
 Pendentis à te seruuli,
 Blande parens clementiæ,
 Promptus uocanti parcere:
 Intentus audi supplicem.
 Nam te uocamus arduis
 In rebus, inuocantibus
 Opem benignus quòd feras.

Nullus

Nullus deorum par tibi:
Nullus secundus: exserit
Nullus suam potentiam
Tam splendidis miraculis.
Rerum creator, ultimis
Ab orbis oris affluent,
Flexoq; gentes poplite
Te prosequuntur laudibus.
Solutus nec cui termino
Inclusus aut potentia,
Deus deorum, gentibus
Miranda cunctis perpetras.
Legum tuarum semitam
Fac ingredi me: pectoris
Compone fluctus turbidos,
Tranquilla mens ut te colat.
Ut spiritus contagio
Emancipatus corporis,
Tuam celebret gloriam,
Dum uita uoxq; suppetet.
Vivo tua clementia
De fauce mortis erutus,
Quum uiriam fiducia
Sæuaret hostis insolens:
Secura quum uis numinis
Mihi immineret, tu Deus
Es lenis & placabilis,
Et pacta fidus reddere.
Mitis bonusq; respice,
Qui pendet ex te seruulum:
Opem fer, & uernaculum

L iiii

Tuum periculis exime.
 In me fauorem sentiant
 Hostes tuum: ora decolor
 Mutet pudor, quum uiderint
 Mihi te salutis uindicem.

PSAL. LXXXVII. *Fundamenta eius
 in montibus sanctis, &c. Carm. gen. 3.*

A Bramidarum ceteras urbes supra
 Dominus Sionis diligit
 Portas, Sionis, imminet quæ montium
 Fundata sanctis collibus.
 O prædicanda posteris sæclis Sion,
 Beata mater urbium:
 Tecumne Babylon se audeat componere?
 Tecumne Memphis insolens?
 Ventura Babylon sub iugum Dei, Deo
 Flexura Memphis poplitem.
 Præclara quamuis & Palæstina & Tyros
 Iactet uirorum roboram,
 Nihil ad Sionem fortibus fœtam uiris,
 Fauore tutam numinis.
 Censore Domino humana gēs quum nomina
 Ad profitenda confluet,
 Quis non Sionis ferre se ciuem, inferi
 Quis non colonis ambiet?
 Tum uox Sionem carminum, tum uox lyræ
 Canent Sionem & tibiæ:
 Et nostra si quid audiendum uox sonet,
 Laudem Sionis uox canet:

Et

Et si quid animus uoce dignum excogitet,
Animus Sioni seruiet.

PSAL. LXXXVIII. Domine Deus sa
lutis mee, &c. Carm. gen. 22.

L Vce uoco te, nocte uoco te, sola salutis
Spes, columen uitæ præsidiumq; meæ.
Alme parës, facilem ne uultum auerte præcãti,
Néue humiles dura respue mente preces.
Mens hebetata malis torpet, confecta dolore
Funereas spectat languida uita faces.
Membra uigor liquit: mors unguib⁹ imminet a-
De tumulo tantum iã mihi cura meo est (tris,
Corpora non aliter pallent sub mole sepulcri,
Vulnere quæ subitò mors inopina tulit:
Perpetuis quæ sub tenebris obliuia condunt
Alta, salutiferam te retrahente manum. (tū
Carcere ceu clausum, & cæca sub nocte sepul-
Me propè lethææ gurgite mergis aquæ.
Vsq; premis, stratumq; urges, supraq; iacentē
Accumulas iræ fulmina cuncta tuæ.
Me uelut scopulum fugiūt horrentq; sodales,
Quos portum afflictæ spes erat esse rati.
Affixusq; toro iaceo, ceu compede uinctus:
Languida cesserunt lumina uicta malis.
Interea lassas tendens ad sidera palmas,
Te, ueniente die, te, fugiente uoco.
Scilicet expectas ut acerba morte perempto
Ostentes uires me reuocando tuas.

L v

An rediuiua tuas in laudes ora resoluent
 Quos gelido tellus claudit auara sinu?
 An tua sub tumuli bonitas cantabitur antro?
 Vulgabuntue tuam muta sepulcra fidem?
 Iustitiã me tuam taciturna silentia pandent?
 An referent uires nox tenebrãq; tuas? (mo:
 Ast ego, sancte parens, supplex tua numina cla
 Nec precib⁹ uacua est hora locũsue meis.
 Sãcte parẽs, animã auxiliũ cur subtrahis ægrã?
 Cur surda miseris respuis aure preces?
 Me dolor & primis labor anxius urit ab annis:
 Me trepidi exanimant corde micãte metus.
 Me furor exagitat tu⁹, opprimit undiq; terror
 Agmen ut hyberne quod fata mergit, a que:
 Aeger inops caris iaceo desertus amicis:
 Nec noti ærumnis ingemuere meis.

PSAL. LXXIX. *Misericordias Do
 mini in æternum cantabo: &c. Carm. gen. 1.*

TV mihi carnẽ eris, rerũ pater optime, sem-
 per:
 Notaq; erit populis bonitas me uate futuris,
 Pollicitiq; immota fides, dum sidera mundo
 Voluentur tacito. citius quoq; sidera credam
 In chaos antiquum lapso se condere mundo,
 Irrita quã sacri credam fore scœdera pacti,
 His concepta tuo quondam cũ Dauide uerbis
 Dum mare, dum tellus staret, dũ sidera cœli,
 Daudici generis mansuram in sæcula prolem,
 Et stabilem regni uentura in tempora sedem.

Te

Te pater, ætherei cœtus, te iure piorum
Sæcla hominum celebrant, patrantem ingétia
mundo

Mirante, & stabilis ius inuolabile pacti
Seruantem. quæ terra tibi, quæ conferet æther
Magne parés; quæ fiderei tremis omnis Olympi
Cœtus, & attoniti submissa mente tyranni.

Armorum belliq; potens, quocunq; moueris,
Alma fides clara circum te luce refulget.

Tu maris irati furias compescis, & undæ
Deicis insanæ tumidos ad sidera fluctus.

Tu Pharon elatam letali uulnere sternis,
Et quicumq; tuis miserum caput obijcit armis.

Te, terræ cæliq; opifex: quæcunq; capaci
Complexu facies mundi reuolubilis ambit,
Auctore agnoscunt: Aquilo tibi seruit & Auster:
Thabor & Occiduum qui condit uertice solé,

Quiq; rubet radijs Hermon tepesfactus Eois,
Læticia exultant. ualidæ tu robore dextræ
Clara per immesum spargis miracula mundū.

Ante tuū solium tibi iustu apparet & æquum:
Ante oculos adstat bonitas, & nescia flecti

Promissi sincera fides. O terq; quaterq;
Felices quos festarum clangore tubarum

Ad tua sacra uocas: quos sacri lumine uultus
Illustras, hila resq; tui sub nominis umbra

Custodis: bonitate tua superæthera uectis
Das uires, decus, imperium, das impia contra

Agmina, ceu clypeum, per dura pericula regē.
Tu tibi dilectum secreto numine uatem

Implesti, ut sæclis daret hæc responsa futuris:

Ipse

Ipse mihi legi media de plebe meoq;
 Imposui regem solio, qui protegat armis
 Ifacidas, populoq; meo qui iura ministret:
 Dauidis & sacro perfudi tempora oliuo.
 Huic animum uiresq; dabo, præfensq; tuebor
 Perpetuò, ne fraude scelus, ne robur aperte
 Exitium ferat: ipse hostes, ipse impia sternet
 Agmina: nullam eam uertet sententia mentem.
 Auxiliumq; feram bonus, & super ætheris axe
 Nominis auspicio nostri se gloria tollet.
 Iura dabit terris rapido quas gurgite claudit
 Hinc mare Sidonia fœcundum murice, & illinc
 Palmifer Euphrates. supplex me in uota uoca-
 Ille patrè. Deus ille meus tu, (dicet) & unū (bit
 Præsidium, una meæ custodia certa salutis.
 Hunc ego præcipuo contrâ dignabor honore,
 Supra aliosq; dabo rerum moderamina reges
 Quicunq; immensum populis dant iura per
 orbem.

Nec meus absistet fauor illi in sæcla, nec illi
 Iurata æterni soluentur fœdera pacti.

Quin sobolè, & sobolis feros in cuncta nepotes
 Sæcla dabo, & stabilis sceptrum immutabile
 regni,

Donec ab obscuris lucem sol diuidet umbris.
 Quòd si posteritas mea fœdera sancta profa-
 net

Immemor, & legem spernat, iussamq; recuset
 Ire uiam, domitos pœnis duroq; labore
 Compescam, & plagis usq; exercebo rebelles.
 At neq; destituam regem bonitate perenni,

Fœdera

Fœdera nec solvam, nec quod semel ore pro-
Vlla immutabit ueturi teporis ætas. (fudi,

Quippe semel sancto firmaui fœdere, iurans
Per me, Nulla dies in iti cum Dauide pacti
Immemorem arguerit. soboles, dum sæcula
mundus

Voluet, ei patrij sceptri moderamen habebit.
Esto mi sol testis ad hæc, & conscia luna,
Cum quibus æquæuum sceptrū Iudæa tenebit.
At nunc, sancte parës, tumida inflamat⁹ ab ira,
Proijcis electum regem. rata fœdera pacti
Negligis, & capiti sacrum diadema reuulsum
Sternis humi, & populis præbes calcare profa-
Nuda patet hosti disiectis oppida muris: (nis.
Si qua manet, gelida formidine concutis arcẽ.
Cunctis præda sumus populis: rapiuntq; fe-
runtq;

Vicini, insultantq; malis, miserosq; proteruis
Vocibus illudunt. hostis tu robore dextram
Interea firmas, perfundis pectora dulci
Lætitiæ: ac gladios hebetas in uulnera nostros:
Nec recreas fractos duro in discrimine belli.
Iam decus & regni splendor, iam proxima cælo
Maiestas uerba in tenebras, solijq; superbi
Gloria strata iacet. breuis immatura iuuentē
Stamina præcidis: miseræ pars ultima uitæ
In luctu, in squalore ignominiaq; senescit.

Quem finem dabis ærumnis? nūquā mne tuorū
Respicias clades uultu placatus amico?

An, ceu flamma furens, semper tua sæuiet ira?

Ipse memor tecum reputa quā concita no-
stræ

Tem-

Tempora prætereant uitæ. frustra ergo crearis
 Humani generis sobolem, ut breuis exigat æui
 Tempora, perpetuò curarum exercita fluctu?
 Dum fractam luctu & morbis, senioue, sepulcri
 Clauserit obscuro mors illacrymabilis antro.
 Heu bonitas ubi prisca? fides ubi pristina? ubi il
 Fœdera cõceptis quondã cū Dauide uerbis (la
 Facta tibi? cerne opprobrijs quib? impia seruos
 Turba tuos premat insultans: quàm multa si
 lenti

Clausa sinu maledicta ferã, dū turba profana,
 Dum circū innumere gētes conuitia fundunt,
 Nosq; tui Christi uerbis petulanter amaris
 Aduentum sperare iubent. At tu bone rerum
 Conditor, æterno uerax celebraberis æuo.

GEORGII BV
 CHANANI PARAPHRASIS, IN
 quartum librum Psalmorum.

PSAL. XC. Domine, refugium factus es
 nobis in generatione, &c. Carm gen. 3.

Cælitum rector bone, ab usq; primis
 Sæculis, mundi rudis & iuuenta
 Qui laborantes ope subleuasti

Semper amicos:

Ante-